

Letter 308: 8 November 1526, Strasbourg, Capito to Matthäus Alber

The text of the letter is printed in Karl Eduard Förstemann, ed., *Neue Mittheilungen aus dem Gebiet historisch-antiquarischer Forschungen* (Halle, 1845), vol. 7.3, pp. 67-68. The manuscript (autograph in Halle UB, ms. Ponikau, misc. 9, # 40) is partially damaged; hence the elision points.

Matthaeo Albero Reutlingensium ecclesiaste, domino ac fratri suo observando.

...Carissime in Domino frater. Qui has pertulit, egregia multa nobis de statu vestrae ecclesiae affirmat. Cum primis autem autoritate senatus missam esse abrogatam, qua clementia Dominus nos nondum inspexit, tametsi nitamur sedulo, merentur id peccata nostra. Gratia Deo, 5 quod per te constanti tenore verbum suum istic provehat. Quam tibi enim agricolis motis timuimus, quam vana undique suspicax fama deferebat, quae tum vehementer verosimilia videbantur, adeo proclive fuit bonis etiam, nonnihil collabi. Video fluctus forte orituros adversum te, quos magno animo sermone verbi exuperabis id agendo, quod nunquam non agis. Id est verbo fortiter nitendo, quod est basis certissima fluctuantibus. Clancularia machina hic 10 missa impugnatur, nam conciones, ut hactenus, sunt liberae satis.

De scholis instituendis, ne literae piae in contemptum abeant, summa nobiscum contentio est, brevique spero fore aliquid, etiamsi extremam manum his annis vix imponemus. Odiose nimirum obsistitur ab his, qui autores et duces tanti reipublicae commodi esse deberent. Verum eiusmodi non magnopere sermonibus exagitamur, sed omnibus nervis plerique operam damus, 15 quo Domino plebem faciamus perfectam, cum piis inquam penitus occupamur, quorum nos fatemur ministros, quos interim offendimus iniquationes mundi contagione, quam deceat professos Christum. Amamus autem hoc nomine te plurimum, quod ecclesiam synceriores tu doceas, cui Dominus dederit ista dexteritate serere verbum. Argumento nobis est civis hic tuus, quocum aliquoties egimus, totus Christum spirat, sicut soror eius praefracte antichristum. 20 Postremo tibi gratulamur commilitonem istum Tubingensem. Concordia et consensus in Domino felicissime extruet atque subfulciet infirmos. His te obiter salutare voluimus, exposito in te animo nostro. Bucerus modo abiit ad concionem, qui te vehementer salutatur, ita et reliqui fratres, qui tui interim mentionem haud illibenter faciunt. Argent. 8 Novembris anno 1526. Tuum 25 symmisten salvere iubemus in Domino.

V. Fab. Capito.